Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 119
Quelle:
Copyright:

est. Ab initio usque ad *Septuagesimam* desunt in Cod. nostro Lectiones *Dom. I. post Natalem Domini*, *Natalis S. Martinae*, et duae *post Theophaniam*, tertia nobis inscribitur *Feria IIII. post Theoph. Sec. iob. k. XIII. Vidit iohannes ihesum venientem ad se* &c. A *Septuagesima* ad *Pascha* deficit in nostro *Lectio Sabb. Quinquagesimae*, et *Sabb. Hebd. V.* unicum est Evangelium *Joh. c. 153. Sublevatis ihesus oculis* &c. A *Paschate* usque ad M. *Augustum*, *Sabb. post Pentec.* secunda nobis deest *Lectio*, item *Lectio Hebd. II. post Pentec.* sed M. *Junio* die XIIII. deest in editis *natalis sancte felicule*. Post *Octabas pentec.* per errorem in nostro Cod. bis habetur *Feria IV. VI.* et *Sabb.* sed deest *Hebd. IV. et V. Lectio. Hebd.* VI. nobis inscribitur II. Die XXVIII. *Jun.* deest *Translatio Corporis b. Leonis Pont.* et *Hebd.* V. tantum unum habet Evangelium: *Quidam legisperitus surrexit tentans Jesum* &c. Ab *Augusto* usque ad *finem*. M. *Novembri* duplex nobis est *Lectio in natali sancte felicitatis*; sed deest *Lectio in die belli*, et tertia *in natali pape*, pro qua duplex est *in ordinatione presbiterorum*. Deficit vero Codex in *ordinatione diaconorum*, qui non tantum propter haec adlata, verum etiam propter alias, sive in Hebdomadum numeratione, sive in Stationum adsignatione, sive in dierum ordinatione et inscriptionum ratione ab editis differentias antiquae Liturgiae studiosis commendari meretur.

LII. inter Cimelia

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 191. fol. maj. totus 982
auro magnifice exaratus, literis initialibus Capitum grandibus historiatis, Versuum vero, uti et Capitum titulis, et interpunctionibus vario colore expressis, paginis praeterea omnibus limbo caeruleo ad angulos florido circumdatis, ut recte praeclarissimum non artis tantum, sed et patientiae humanae monumentum dici queat, *Evangeliarium* est Versionis *vulgatae*. *Fol.* 1. p. 2. Pictura grandis. Acta S. *Matthaei* in 12. divisa loculos eleganter exhibet, adnexis ad 4. angulos Insignibus *Styriae*, *Austriae*, *Tyroleos* et *Carinthiae*, unde colligo *Codicem* aut jussu *Alberti* III. Ducis *Austriae* dicti *cum Trica* scriptum, aut ei dono destinatum fuisse. *Fol.* 2. p. 1. ita init *Evangelium*, ut sola litera L totam faciat paginam. Referta ea est Angelis variis instrumentis concentum musicum edentibus, spatio vacuo, quod inter illam et limbum est, quintuplici serie Capitum utriusque Sexus occupato, quae an Progenitorum *Christi*, an Familiae Ducum *Austriae* dicam, nescio. In limbo prosequitur textus: *Iber generationis ihesu christi filij dauid filij abraham*. Per decursum nihil occurrit notabile, nisi quod quaedam *Capita* paullo citius finiantur, aut ulterius procurrant,